

NATIVITAS IESU CHRISTI LATINE REPRAESENTANDA

LATIN VERSE VERSION OF

A Christmas story

by Susan Gately (©2002)

quam Latine panxit Annula Llewellyn © 2007

With an addendum of optional Latin carols by other authors

Dramatis Personae

| | |
|---|-----------------|
| 1. Narrator | Scaenae 1 - 7 |
| 2. Maria | Scaenae 1, 3, 7 |
| 3. Archangelus Gabriel | Scaena 1 |
| 4. Centurio Romanus (cum aliis militibus) | Scaena 2 |
| 5. Iosephus | Scaenae 3, 4, 7 |
| 6. Primus caupo | Scaena 4 |
| 7. Alter caupo | Scaena 4 |
| 8. David pastor | Scaenae 5, 7 |
| 9. Adamus pastor | Scaenae 5, 7 |
| 10. Angelus | Scaena 5 |
| 11. Melchior rex | Scaenae 6, 7 |
| 12. Caspar rex | Scaenae 6, 7 |
| 13. Balthasar rex | Scaenae 6, 7 |

Scaena Prima: Angelus ad Virginem

(Maria ab angelo salutatur)

Narrator

**Tempore antiquo, cum
Caesar imperabat.
Nazaret in oppido
virgo habitabat
pulcherrima in Israel.
Ad eam venit Gabriel.**

Gabriel

**Ave O Sanctissima
Gratia plenissima!**

Narrator

**Maria sed pavebat.
Novam rem timebat.**

Gabriel

**Ne timeas, O domina,
sed audi mea nuntia.
Me misit iam Altissimus
ut tibi adsim nuntius.
Nam filium amandum
Et Iesum nominandum
Tu paries, sed pura
ut lilium mansura.**

Maria

**Sed nullum virum habeo.
Hoc unde fiat nescio.**

Gabriel

**Spiritus Sanctus veniet
Qui Filium Sanctum generet.
Ab omnibus is laudabitur
Natusque Deo vocabitur.**

Maria

**Ecce ancilla Domini.
Verbumque tuum fiat mihi.**

Scaena Secunda – Census nuntiatur

Narrator **Tumultus mox in oppido
est factus isto nuntio
quem milites dant populo
et nuntiat centurio:**

(Accedunt milites Romani)

Centurio **Age age ambulate!
Dexter, dexter, properate!
Iam sinister! SISTITE!**

**Omnes cives iam audite
Caesaris mandata: ite
omnes nunc ad oppida
vestra natalicia.**

**Nisi vultis nunc damnari
vos debetis numerari
ex oboedientia.**

(exit)

**Age age ambulate!
Dexter, dexter, properate!
Iam sinister! PERGITE!**

Scaena 3 - Iter Bethleem.

(Maria, Ioseph, asinus)

Narrator **Cum iter longum separet
Bethleem a Nazaret,
Ioseph et Maria
iam adsunt in via.
Hiemalis ventus flat
asinus dum ambulat.**

Josephus **O Maria, timeo
et pro te et parvulo
viae longae rigora**

et Decembris frigora

Maria

**Ne timeas, carissime!
Nam Deus nos certissime
custodit. Is praesidium
nobis adest et praemium.**

(exeunt)

Scaena 4 – In oppido Bethleem

Narrator **Nunc veniunt ad oppidum.
Sed nullum est hospitium!
Sunt plena deversoria
Ut nobis fert historia.**

**Iam dolent viatores;
Sed gaudent mercatores.
Caupones quoque laeti sunt
Quod lucrum sibi faciunt.**

(Intrant Caupones, quorum unus sollicitus, alter ebrius.)

Primus Caupo **Quid faciam ego nescio.
Huc illuc distractus cursito.
Nam lectuli omnes pleni sunt
In singulis iamiam deni sunt!**

Alter Caupo **O Caesari feliciter!
Caupones bibant fortiter!
Augustus verbum edidit
Et divites nos reddidit! *(cachinnat Caesari propinans)***

(Intrat Ioseph)

Iosephus **Ignosce mihi, Domine,
te rogo Dei nomine
ut nobis des hospitium
et commodes cubiculum.**

*Primus
Caupo* **Me paenitet te demittere
(et nummulos non recipere)
sed nullus est locus apud me --**

oportet te nunc discedere!

Josephus **Pro misericordia obsecro
et date mi veniam misero
nascente uxori infantulo
placebit dormire in stabulo!**

Primus Caupo **Estne hoc dicendum bis?
Numquid non intelligis?
Surde, stulte, quidquid vis –
abi, ne molestus sis!**

(Josephus se convertit discessurus.)

Alter Caupo **Ecce iam auxilium!
Prope domicilium
stabulum invenies.
Ibi erit requies.**

Josephus **O gratias ob consilium!
Nunc pariet mater filium
etsi non in lecto
saltem iam sub tecto.**

Scaena 5 - Annuntiatio ad Pastores

Narrator **In campis prope oppidum
iam adsunt greges ovium.
Pastores nocte vigilant
ne lupi oves auferant.**

(Vigilat unus pastor, alter dormire conatur.)

David **O quam pulchre lucent stellae
clara nocte, quam sunt bellae!**

Adamus **Nisi tandem tu tacebis
alias stellas mox videbis!** *(iratus pugno ei minitatur)*

Narrator **Rustici, videntes
stellas perlucentes
vident et miraculum ---**

apparentem angelum!

(surgunt pastores perterriti)

Angelus **Nolite perterriti currere --
Salvator nam natus est hodie
qui Iesus vocatur, Rex Gloriam!
Iam surgite! Ite et quaerite!
Nam vera sunt ea quae fabulo –
puerulus dormit in stabulo!
Sequimini stellam! Infantulo
Adeste, nunc iacet in pabulo!**

David **Miraculum novum spectabimus.**

Adamus **Et ovem infantulo dabimus.** *(exeunt festinantes)*

Scaena 6 – Reges Adveniunt

Narrator **Dum pastores vigiles
Iam accurrunt, reges tres
Appropinquant Bethleem.
Regum Regis faciem
sacram mox spectabunt.
Iesum salutabunt.**

Melchior Rex **Longa via fessus
Graviter oppressus
ambulare nolo.
Nunc quietem volo.**

Caspar Rex **Nunquam desperemus!
Mox adveniemus.**

Balthasar Rex **Stellam ego video
Lucet iam in stabulo!
Quam ut videamus
Omnes accurramus!**

Scaena 7 – In Stabulo

Narrator **Sicut dixit angelus
Jesus iam est natus.
iacet in praesepio
pannis occultatus.
Sed per pannos fulget iam
eius lux aeterna.
Luce plenum stabulum
lucet ut lucerna.**

(Iosephus et Maria Jesum adorant. Intran pastores.)

David **En adest infantulus
neque lacrimatur!**

Adamus **Mirum quod puerulus
mundi sit Salvator!**

(Pastores Jesum adorant.)

Maria **Quisnam erat nuntius
nos hic hospitari?**

David **Venit nobis angelus.
Iussit nos laetari!**

Adamus **Dixit nobis “Natus est –
David civitate
Filius Dei, datus est
Vobis. Festinate!”**

David **Nuntium mirificum
Valde timebamus.
Cepi tunc consilium
dixi, “Transeamus!”**

Adamus **Transimus usque Bethleem
Omnes cupientes
Hanc videre miram rem
Agnum et ferentes.** *(Praebet agnum)*

Iosephus **Gratias pastoribus
agimus, sed magnus
ipse peccatoribus
dabitur ut agnus.**

(Intrant reges. Jesum adorantes dona ei offerunt.)

Melchior **Accipe aurum, quod omnium
te regem agnosco! Ut somnium
res mihi videtur, sed verum est
et gaudium cordis sincerum est!**

Caspar **Et accipe thus, tibi donum sit
quod decet Te Deum -- et thronum sit
ad dexteram Patris Altissimi --
Incensum odoris suavissimi!**

Balthasar **Accipe myrrham, quam olim tu
habebis necesse in exitu.
Habebis et vias difficiles
ut populum tuum salvifices.**

Maria **Gratias regibus vobis do
qui datis haec dona filiolo.
Sed Jesus et plus delectabitur
si cor vestrum illi et dabitur!**

(ostendit parvulum regibus et spectatoribus)

Narrator **Venite, venite ad stabulum
Vos qui audivistis hanc fabulam.
Et date cor vestrum, ut vita sit
aeterna. O Domine, ita sit!**

**SUBSICIVA CANTICA NATALICIA VARIORUM AUCTORUM LUDO
SCAENICO AD ARBITRIUM MAGISTRI SIVE CHOREGI ADDENDA**

I. Canendum in principio -- Nuntium Gabrielis (Anglice *The Angel Gabriel*)

De caelo Gabriel adveniens

Et fronte flammeo aspiciens

Aveto! dixit O Maria humilis

Et Deo praedilecta. Gloria...

Futura mater Salutari es --

Et Dei Genetrix tu paries

Filiolum Emanuelem, caelorum

Regina praedilecta! Gloria...

II. Canendum inter Scaenam 3 (Iter Bethleem) et 4 (In oppido Bethleem) (Anglice *O Little Town of Bethlehem*):

O parve page Bethleem

Quam tacite dormis,

Dum spectant alta sidera

Nitentibus caelis.

Sed tuae viae celant --

Tu sola confoves --

Aeterna luce fulgente

Annorum omnes spes!

Quam tacite demittitur

**Hoc donum caelitus!
Sic sua beneficia
Confert in nos Deus;
Perceptus nullo sensu
Nec spernens miseros
Libenter Christus supplices
Invisit animos.**

III. Canendum inter Scaenam 5 (Annuntiatio ad Pastores) et 6 (Reges Adveniunt).
(Anglice *Hark! the Herald Angels Sing*)

**Angeli canunt praecones
Modo natum Dominum
Pacem nobis, veniamque
Erga genus hominum.
Gentes surgite gaudentes
Cum caelicolis canentes
Dei Filium, Regem,
Natum iam in Bethleem
Ecce, canunt angeli
Gloriam novo Regi!**

**Christus, adoratus caelo,
In aeternum Dominus,
Tandem nobis nunc advenit
Virginis purae partus;
Homo fieri dignate**

Ave, Sermo Incarnate!
O Mirum, placet tibi
Apud nos commorari.
Ecce, canunt angeli
Gloriam novo Regi!

IV. Canendum in fine post Scaenam septimam peractam.

Adeste fideles
Laeti triumphantes
Venite, venite in Bethleem!
Natum videte
Regem angelorum.
Venite, adoremus!
Venite, adoremus!
Venite, adoremus
Dominum!

Cantet nunc "Io!"
Chorus angelorum
Cantet nunc aula caelestium
"Gloria in excelsis Deo"
Venite, adoremus!
Venite, adoremus!
Venite, adoremus
Dominum!
